

Franckesche Stiftungen zu Halle

Tosafot ha-Mikra Sive Disputatio Critica de Additionibus Librorum Canonorum Canonicis, Fortunate Verbi Ultore

Woken, Franz

Stettin, [1720?]

VD18 13247743

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200272)



132 C: 28

1/8
2/7
3/7
4/6
5/6
6/7
7/2
8/2
9/2
10/1
11/2
12/0
13/1
14/1
15/5
16/1
17/1
18/2
19/2
20/1
21/1
22/1
23/1
24/1
25/1
26/1
27/1
28/1
29/1
30/0

- 31/ Meyer (Christ. Paul) *Gebirgsen u. Ceremonien des Juhn. Wittenb. 1891.*
 32/ Schwen (Fider.) *disput. philob. in Exodi VI & 3. Regiom. 1721.*
 33/ Meißner (Joh.) *de agno paschalis Judaorum. Wittenb. 1658.*
 34/ Erlichter (Chr. Lud.) *de panibus facierum, Exod. 25, 30. Levit. 24, 5-9. Ital. 1736.*
 35/ Frickmuth (Joh.) *de ligatione Jacobi, disp. prima. ex Gen. 22. Sen. 1662.*
 36/ Idem — — — — — *disp. secunda. ib. eodem.*
 37/ Idem — — — — — *disp. tertia. ib. 1663.*
 38/ Idem — — — — — *quarta. ib. 1664.*
 39/ Idem — — — — — *quinta & ultima. ib. 1665.*
 40/ Weissemborn (Joh.) *Anima pro anima. Ezech. 3, 17. 18. 19. Sen. 1692.*
 41/ Oßmann (Joh. Eric.) *Positiones Philol. graecum N. Testamenti contextum
 concernentes. Disput. prima. Wittenb. 1649.*
 42/ Idem — — — — — *secunda. ib. eod.*
 43/ Idem — — — — — *tertia. ib. eod.*

132629

1.1736.

1862.


865.

892.

xtum

9.

2033



20
9
הוספות המקרא

Sive
DISPUTATIO CRITICA
de
ADDITIONIBUS
LIBRORUM
CANONICORUM
CANONICIS,

Fortunante Verbi Ultore,

Præside

M. FRANCISCO WOKENIO.

Regii Neo-Sed. Gymnasii Con-Rectore,

Præceptore & hospite suo amando,

d. Octobris, M DCC XX.

In publico Gymnasii Auditorio

modestæ συζητήσεως exhibita

Respondente,

JOHANNE JACOBO Brämer.

SEDINI, Imprimebat Herm. Gottfr. Effenbahrt, Nobil. & Ampl. Senat. Typogr.

9
10
14
15

RECHENBUCH

AN DER UNIVERSITÄT

WÜRZBURG

1711

VERMISCHT

ALPHABET

1711

PRÆFATIO.

IN veritatis stadio & vincere & vinci laudis est. Pro Sacrae etiam Scripturae certitudine ad excessum usque sollicito, apud ingenuos veritatis cultores, si non approbatio, venia tamen, parata esse solet. Poscit denique disputationum lex, ut materia proponatur (si res fert) in utramque partem disputabilis: minimum ex rigidiorum Aristotelicorum judicio. Hæc quasi amuleta in ipso limine suspendere placuit, cum aggrediamur materiam & in se admodum abstrusam, & summorum virorum splendidissimis armis ita contra nos munitam, ut propositum fere mutassem; nisi etiam ipsos, quibus sententia contraria placet, & indulgentissimos & Sacrae Scripturae potius quam Hypothesibus propriis amicos esse constaret. Qua spe fretus ad propositum problema intrepidus pergo, Deum precatus: בְּקִרְוֹתַי יְהוָה אֱלֹהֵי שָׁמַיִךְ

Qu. An libris Canonicis canonicæ additiones postea sint adjectæ.

§. I. *Non quaritur*: (1) *An homini liceat, Canonicis libris quædam ex suo ingenio addere.* Quod enim hoc liceat, Christianus asserere non potest, ob dicta scripturae *Deut. IV. 2. XII. 31. Apoc. XXII. 18. seq. &c.* vid. *Protrepticon meum ad Piet. Crit. p. 6.* Nec (2) *quæritur: An in libris Canonicis de facto dentur additiones humanæ Hæreticorum Criticorum &c.* quibus multas tribuit cum *Erasmo & Beza, Cel. Clericus in Arte Crit. P. III. Sect. I. c. 7. p. m. 80. seqq.* Hoc enim integritas scripturae & providentia divina circa eandem, non concedunt: Nec (3)

A 2

De

De titulis librorum Canonicorum quaestio est, quos ab Ecclesia additos esse, Critici non minimi, & forte non frustra, iudicant e. g. De titulo Apocalypseos. Quod, quia integritati scripturae non obest, hac vice in controversiam non vocamus; Nec (4) *De subscriptionibus* e. g. Epistolarum Paulinarum, quas Theol. Orthodoxi ingeniis quoque humanis, aliquando etiam errantibus adscribere haud verentur (vid. e. g. *B. Scho-meri Exeg. in Epist. ad Romanos*;) controversia hodie nobis erit. Nec (5) *De additionibus librorum Esphera*, Danielis, Jeremiae, quas canonicas non esse, cum aliis, ostendit *B. D. Kortbolt de canone S. S. p. m. 66. seqq. & Cel. D. Buddeus in Hist. V. Test. T. II. p. 1017. seq. &c.* Nec (6) an Deus, primo libri Autore in scribendo demortuo, alteri committere potuerit ut inceptum absolvat, antequam liber, ut Canonicus, in vulgus edatur. Huic enim opinioni, quid obstat, non video. Sed quaeritur: *An Deus per viros Θεοπνεύστους posteriores e. g. Esram, quasdam particulas addiderit libris Canonicis, diu ante absolutis.*

§. 2. Affirmativa hujus quaestiones etiam hodie *Cel.* quibusdam *Viris* admodum probatur, qui eidem anxie argumenta conquirunt, ut eandem aliis quoque commendent. In hoc censu est *Vir magni nominis*, *Dn. Herman. WITSIUS*, qui in *Tom. I. Miscell. p. 120. seqq.* in hoc probando totus fere est. Agit cum hoc *Vir Cel. Dn. Joh. MARKIUS* in *Exercit. Scripturariis. exercit. X. p. 609. & exercit. XI. p. 671.* Huic sententiae velificatur nuperrime quoque *Dn. Humphredo Prideaux*, Decanus Norvicensis, in libro: *The old and new Testament connected in the Historii of the jews*: cujus rationes exhibent *Aët. Erud. 1718. p. 102.* Nec non *Anonymus in Critique Abrege. &c. Aët. Erud. Anno 1717. p. 255.* Taceo *Cel. CLERICUM*, & *Malvendam*, *Ripetum Willetum* quosque his addunt *Cel. Dn. D. Henricus Ascanius Engelke* in *Disput. de sententiis in Sac. Script. injuriis p. 37. & Polus b. l.* Taceo alios, qui ad hoc vel illud dictum aliquando infra citabuntur. Quibus argumentis tanti moveantur *Viri*, quibusdam deinde videbimus,

§. 3. *Nobis* interim negativa sententia & tutior & verior videtur: non acsi sola autoritas Præceptorum, *Cel. D. D. Engelkenii l. c.* & *Cel. D. D. Weidneri in Coll. Disput. Theol. p. II. seq.* nos moveret. Adfunt nobis dissentiendi rationes non admodum leves, quarum unam atque alteram dabimus. Arguimus (1) ita: Libri Canonici, ante illas additiones, vel fuerunt perfecti, vel imperfecti. Si imperfecti fuerunt; quomodo possent esse Canonici, qui sine perfectione sibi debita concipi non possent, maxime, cum nulla assignari possit causa, quare Deus illos libros diu imperfectos reliquisset. Si vero perfecti libri ante additiones; additiones illæ fuissent superflue. (2) Certitudo libris Canonicis sane decederet, quoniam semper animus suspicari potuisset ante canonem clausum, anne Deus hoc vel futuro etiam tempore novas additiones libris Canonicis superaddere vellet, (3) Scriptoribus sacris ipsis certitudo eriperetur de perfectione libri sui, de quo dubitare deberent, an per novum quoddam supplementum compleri aliquando debeat. (4) Cum hac de re in scriptura ne verbum quidem extet, mentes talibus hariolationibus inescatæ, facile eo prolabi possent, ut dubitent, anne aliquando etiam manu mere humana, hoc vel illud superadditum sit, si libri Canonici non omnem additionem respuunt. (5) Si Deus huic vel illi loco, expositionis ergo, in rebus exigui momenti, additiones dare voluisset: in rebus sane majoris momenti, locisque adhuc obscurioribus, non neglexisset additiones exegeticas. Quia vero ibidem nullas addidit: admodum improbabile est, illas, quæ additiones dicuntur, tales re vera esse. (6) Deo hæc sententia plane est indigna, quia Deo aliquam ignorantiam tribuere videtur, ex qua primitus quædam fuerint omisa, per curas quasi posteriores deinde supplenda. (7) Canonici libri, procul omni dubio, statim post scriptionem, multoties in Ecclesia descripti fuerunt. En quanta difficultas! Additio, sequenti tempore facta, vel unico codici superaddita fuit, & ita reliqui codices, antea descripti, eam non habuissent; Vel Propheta, supplementum

mentum addens, in omnibus, qui extabant, codicibus id mutare debuisset. Quis vero alterutrum ex his absurdis crederet? (8) Argumenta nobis opposita, sententiam adversam apodictice veram esse, haud evincunt.

§. 4. *Primus* locus, quem *Cel. Clericus* affert est *Gen. II. 11.* Mosen scire non potuisse, aurum loci illius esse bonum. Sed satis false huic respondet *Wissius Tom. I. Miscell. p. 121.* Nos dicimus, Deum id Mosi revelasse. *Secundus* locus est *Gen. X. 11.* quod Ninive diu post sit ædificata. Respondemus, cum *Wissio l. c. p. 122.* falsum esse, quod tempore Deboræ sit ædificata, & cum *Cel. D. D. Buddeo in Hist. Eccles. V. T. Tom. I. p. 232.* verba exponimus: *Ex terra illa (Sinear) egressus est Asur, & ædificavit Niniven.* Hoc vero ante Mosen factum esse, sacræ potius historiæ quam profanæ credimus. Qua de re nec antiqui Judæi dubitarunt, Niniven a Nimrodo ædificatam credentes, uti e. gr. *Targum Jonathanis* habet: *מן ארעא e terra illa exibat Nimrod, & regnabat in Assyria, &c.* *Tertius* locus est æque facilis *Gen. XI. 31.* ubi *Ur כשדים* vocatur, cum tamen Chaldæa dicta à Chesed, filio Nachoris. Bene vero monet *Wissius*, ipsum *Clericum* fateri, incertum esse, an nomen Chaldæorum descendat à Chesed: addens, quod *Jobi I. 17.* Chaldæi nominentur. Et quid? si multa largiremur *Clerico*, tempore sane Mosi Chaldæi habitare potuissent in hac civitate, licet à Chesed originem ducerent, ejusdem essent sane antiquitatis, quam Abrahami posteris. Ut ad discrimen alterius urbis, tempore Mosi, hoc cognomen gerere potuisset. Hæc fuere leviora.

§. 5. *Quarto DN. PRIDEAUX* opponere dicitur *Gen. XII. 6.* Ni fallor, verba respiciet: *יחכנעני מן כנען*. Quod si hoc intendit, nihil agit, quoniam Cananæi tum maxime ibi habitabant *Conf. Gen. XIII. 7. XV. 20.* Interim de hoc dubio (1) *Cel. D. D. Weidnerus in Coll. Disput. Theol. p. 11.* ita disferit: *Erat tunc jam dum Cananeus & Perizeus in Palestina velut invasor. conf. Gen. X. 19. cum Abrahamus eandem, seu terram sibi & præcipue posteris*

posteris promissam frequentaret, Gen. XII. 6. XIII. 7. Et simul nondum expulsus aut deletus fuit, cum Moses libros suos *אמרו* scriberet. Vix ab similibus sententia & R. *Aben Ezra*, scribens: יתכן שארץ כנען תפשה כנען מיד אחר i. e. Optime dicitur, quod Canaan terram suam tunc temporis eripuerit e potestate alterius. Sed etiam (2) commodè dici potest, quod vere Cananiti tum inhabitaverint illam terram. Quod non tantum *Wissius l. c. p. 123.* sed etiam *Cel. D. D. LOESCHERUS in Theol. Exeg. p. 60.* cum *Pezrono* agnoscit. item *Dn. Witterus Comment. in b. l. p. 361. seq.* quibus subscripsi. *P. 2. Piet. Crit. p. 17.* Ita & *Ben Uziel*, rationem addens: דער כוון לא שמה נמנה דבני ישראל למורחא quia nondum venerat tempus, ut Israëlita possideant terram. Nullum vero inde necitur argumentum, quasi eo tempore, quo hæc sunt scripta, Cananiti non ulterius ibi habitassent, quoniam Moses de populo, etiam cum scriberet, ibi habitante, tantum notavit, quod jam tempore Abrahami ibi fuerit; nil addens, an jam ibi esse desierint, an minus.

§. 6. Opponitur quinto locus Gen. XIV. 14. ubi de Abrahamo dicitur, quod audito, Lotum esse captivum, cum servis suis victores profecutus fuerit עד דן usque ad Dan. Hinc colligit *Cel. Wissius*, quod hoc nomen urbis à sequiori manu sit, quoniam hæc urbs à Danitis demum nomen accepit, antea Lais dicta, *Jud. XVIII. 29.* Tribus vero viis Mosen Danis nomen injicere potuisse, ni fallor, dici potuerit. (1) Deus Mose verba dictans nomen urbi futurum revelare potuisset, qua ratione nec Moses hoc ignorasset, nec reliqui Judæi ignorarunt, post scriptionem Mosis, quia tum viventibus sine dubio exposuit, reliquis, ex denominatione publicè facta, innotuit. Cum vero hoc dubiis suis non careat; (2) multi aliam plane urbem fuisse asserunt, præter Lais, quæ tum temporis Dan dicta. Qua de re *B. Schomerus in Collegio recent. Controver. p. 16.* & *Cl. Witterus Comment. in b. l. (3)* Elegans etiam sententia est, quod h. l. non intelligatur urbs, sed fluvius Dan, ex cujus cum altero confluxu, Jordanis nomen antiquissimum traxit ortum, ut

ut vult *Huetius*, & haud obscure *Cel. D. D. Buddens Hist. Eccles. P. I. p. 262. seq.* Idem jam suo tempore statuit *Flavius Josephus L. I. Ant. c. XI. p. m. 15.* περὶ Δάνον, ἅτως γὰρ ἡ ἐτέρα τῆ ἱερὸν πόλιν προσ-
αγορεύεται πηγῇ. Nulla harum expositionum æque gravius
urgetur dubiis, quam nobis opposita. Imo ne quidem additio
dici posset, sed plane immutatio. Nam si aufers nomen Dan,
nullum urbis nomen remanet, ut adeo pars nobis adversa di-
cere deberet, h. l. nomen Lais extitisse, deinde vero sublatum
esse, novumque ejus loco repositum. Si vero additio audire
debet, ostendant, ubi extet nomen Lais, hac additione tan-
tum expositum.

§. 7. *DN. PRIDEAUX*, sexto, opponere dicitur. *Gen. XXII. 14.*
& intelligitur (nisi me mens fallit,) quod *versu 15.* dicitur
וְהוּא יֹאמֵר הַיּוֹם הַזֶּה *quod hodie*, sive eo tempore quo hæc
verba scripta sint, dictum fuerit, in monte, quo Dominus vi-
detur. Ita enim vulgo vertunt; sed contra Accentum
Tiphcham, secundum quem verti debet: *in monte Domini*, auf-
dem Berge des Herrn, videbitur: quod jam *B. Calovius in Bibliis*
Illust. observavit. vid. etiam *Cel. Starkii notas in b. l. p. 47.* Vidit
quoque *R. S. ben Meir b. t.* *Tiphchæ* nexum, siquidem hæc
exponit: בְּהָרֵי הַנֶּרְאָה הַקְּבִיָּה לְאַבְרָהָם
Domini apparet sanctus benedictus Abrahamo. Nec hæc adeo difficilia
sunt. Non assumam *Raschii* exegesis, שְׂכַל הַדְּרוֹרוֹת הַבָּאִים
קורא את המקרא הזה ואומר ער חיום הזה על יום שעמרין כו.
i. e. *quod omnes posterī, qui lecturi sunt hanc partem scripture,*
dicturi sint, usque adhuc diem, intelligendo nempe diem illum, in
quo ipsi vidaturi sunt. Sed à tempore Abrahami usque ad tem-
pora Moſis tempus satis diuturnum erat. Ut itaque Moſes
non frustra hanc addidisset ipse notam. Quid enim impedit,
quo minus Moſes hæc scribere posset, quod suo tempore
propter manifestationem Abrahamo factam, fideles Israelitæ, spe
pleni, dixerint: *in monte Domini providebitur?* Cur sequiori
tempore hoc additum fuisset? *Cel. Clerico* placet, *septimo* obſicere
turrim Eder, Gen. XXXV. 21. quæ ipsi videtur turris portæ
Hie.

Hierosolymitanæ imposita. Satis vero ipsi fecit *Cel. Wulfus* p. 124. seq. cujus verbis respondeo: Nihil est quod credere vetet, Jacobi aetate, in eo tractu turrim aliquam fuisse, quæ à gregibus nomen haberet. Nihil est, quod credere jubent, turrim eam designari, quæ deinceps Hierosolyma edificata est. Non est à ratione alienum, quod antiquum nomen turris vel eodem loco, vel in vicinia extantis, in adificatione turris recentioris ad memoriam antiquitatis, renovatum sit. Ego itaque nihil addo, nisi, quod ipse Targumista vocem Eder pro Appellativo habere videatur, cum vertit: למגדל עדר.

§. 8. Occurrit jam octavo locus *Gen. XXXVI. 31. seqq.* De quo Autor *Ephemeridum Gallicarum: Nouveau journal des sçavans. m. Mars & Avril. 1697. Art. 6. p. 170.* scribit: Voila qui paroît une difficulté insurmontable. Ita etiam R. Jizchaki: כי יחושפט נכתבה זאת הפרשה quod hæc pars demum inserta sit temporibus Josaphath. Duplici etiam modo dubium hoc nos premit, (1) Quod octo Reges, & undecim duces tantillo tempore mori haud potuerint; cum tamen h. l. semper dicatur, de unoquoque eorum: ויָמָת ויָמָת ויָמָת & mortuus est. & regnavit post illum: ut ita dici nequeat, hos simul regnassee. (2) quod v. 30. dicitur, hos reges omnes regnassee לפני מלך-מלך לפני מלך-מלך antequam regnaret Rex in Israele. Ex quibus adversæ parti speciosa exsurgit sequela, hæc scripta demum esse, postquam Israel unum alterumque Regem habuerit. Sed varii dantur modi ad hæc dubia respondendi. Quod ad prius attinet, (1) sunt quidam, qui dicunt, Mosen non de præteritis scripsisse, ut Historicum, quasi suo tempore jam tot Reges ac Duces mortui essent, sed de futuris, ut Prophetam, quod tot futuri sint, usque ad regnum Israelis. Huic sententiæ adherent quidam apud *Aben Esram* scribentem: כי בדרך ישאומרים נכתבה זאת הפרשה sunt, qui dicunt, quod hæc particula scripta sit, modo Prophetico. Et hanc sententiam defendunt, *Menochius in Polo*, & ex recentioribus *Cl. Salomon von Till.* (2) Alii asserunt, quod hi Reges non sint ex filiis

Esavi, sed extranei, ut terminus à quo regnare primus inceperit, diu ante Esavi tempora poni queat. Qua ratione à prima Regni origine usque ad tempora Moſis commode regnare potuiſſent, quamvis diutiſſime regno præſuiſſe, quia tale Regnum in terra quam inhabitavit Eſau, diu ante eum incipere potuiſſet. Hoc propugnat cum *Maimonide*, *Grotius ad b. l. item Abbadie de veritate Religionis Chriſt.* & alii. Sed & favet huic opinioni, quod non dicuntur *עשו מלכו* *Reges Esavi*, ſive ex Eſavo, ut v. 39. *עשו מלכו* *duces Esavo* oriundi; ſed alio ſtylo: *מלכים אשר מלכו כחזק אדום* *Reges, qui regnarunt in terra Edom*, ſive eo tractu, qui tempore Moſis Idumæa appellabatur. Opponitur quidem, *Jeſ. LXIII. 1. Jer. XLIX. 7. 13. 20. 23. Amos I. 12.* Quibus locis dicitur, quod Bazra ac Theman Edumæorum ſint civitates. Sed nervum concludendi non video: Bazra & Theman tempore Prophetarum primariæ urbes erant Edumæorum: Ergo tempore ante Moſen terra Edom extraneis Regibus ſubefſe non potuit. (3) *Dr. Feriſon* ſupponit in *Epist. ad Autorem dicti journal des ſçavans* p. 170. usque ad p. 185. regnum Edumæorum fuiſſe electitium, ut Reges eligerent, qui alios ſuperabant autoritate & prudentia, & ita non juvenes ſed grandævos, quorum in trium ſeculorum decurſu, multo plures quam octo mori potuerunt. Et hoc probabile inde reddere cupit, quia hi Reges ſemper ex alia familia orti ſunt, quod cuique legenti patebit. De Ducibus vero, *idem Vir Doctus* aſſerit, eos non diſtinctum habuiſſe Regnum, ſed Edomitas, pariter, ut Iſraelitas, in duodecim tribus fuiſſe diſtinctos, quibus in interregno undecim hi duces præſuerint, duodecima tribu ab Amalekitis ſurrepta. Et hæc quodammodo quoque placent *Cel. D. D. Buddeo H. E. P. I. p. 472. ſeq.* Res ita facillime forte expediri poteſt, ſi dicimus: (a) Regnum fuiſſe electitium, quod relatio familiarum certo evincit, vel, minimum Regnum ab his octo Regibus non hæreditario jure uſurpatum eſſe, ſed vel ab ipsis ad ſe raptum, vel quocunque modo ab uno ad alium translatum. Ex quo clarum eſt Reges hos non fuiſſe Juvenes, ſed proſpectioris ætatis. (b) Ex *Chron. I. 51.* clarum

clarum est, quod duces hi Regnum Edom, quilibet partem suam, ad se traxerint & non ita sibi invicem successerint, sed quilibet suo Ducatui præfederit. (γ) Esau *quadragesimo anno* conjugium iniit, *Gen. XXVI. 35.* Jacob vero, quantum ex Historiæ connexionem colligimus, jam octogenario major. Ut ita filii Esavi tum temporis circiter quadraginta annos nati fuissent. Quod si itaque aliquis colligere vellet. hos Reges ex Esavo descendisse: tempus tamen usque ad Mosis mortem, habebit ultra 230. annos, quibus octo Reges facile se insequi potuerint, cita morte denati, & Regnum in Ducatus distribui. Qui vero sententiam *Grotii*, supra datam, probabiliorē putat, Reges non ex Esavo descendisse, dubio adhuc facilius medetur, & probabile sectatur argumentum, quia *Beor*, pater *Bela*, non fuit ex filiis Esavi. Diceret talis forte, recenseri Reges, qui imperitarint terræ Edom, illo tempore, cum Esau inceperit ibidem peregrinus esse, & quidem propterea hæc referri, ut commodius Sacer Scriptor ostendat, quomodo Duces ex Esavo orti, Rege ultimo demortuo, tale fastigium adepti sint. Quocunque modo accipis: dubium facile tolli potest. *Ad secundum* varii varia quoque respondent. (α) *Junius, Malvenda, Ainsworth*, teste *Calovio Bib. Illust. b. l.* ita accipiunt, ut per Regem Israelem intelligant *Mosen*, qui *Deu. XXXIII. 5.* Rex dicitur: hoc sensu: usque ad Mosis tempora, cum ille regnare inciperet, Israelitis, Reges illos Idumæorum jam fuisse. Ita & לפני משה שחשיע את ישראל intelligit: כל שריעם ועם קורא מלך ונזי i. e. ante Mosen, qui servavit Israel. Omnes enim duces populi vocantur a populo Reges. &c. (β) Alii ex *Deu. XVII. 14.* verba hæc interpretantur, quod Israelitæ ante Regem nec habuerint nec habere debuerint, quam possederint terram Canaan. Quare sensus sit: antequam Israel haberet Reges i. e. antequam induceretur in terram suam, ubi demum Reges facere potuerint. (γ) Etiam notissimum est, quod de diu præcedentibus dici possit, quod facta sint antequam hoc vel illud fieret. Hæc sufficiant de hoc loco.

§. 9. *Cel. Wisflus*, cum *Malvenda*, teste *Polo ad Gen. XIII. 18.* in subsidium *nono* vocat *Gen. XXXVII. 14.* ubi Abraham dicitur filium suum misisse, e convalle *Hebronis*, cum tamen Hebron loci tantum nomen factum sit *Jos. XIV. 15.* & antea urbs *Arba* five *Kiriathbarba* dicta. Si igitur demum Josuæ tempore locus Hebron appellari cœpit, Abrahami tempore ita dici non potuit. Verum responderi potest varie. (1) Hæc ipsa urbs etiam *Gen. XXIII. 2.* dicitur Hebron, item *Gen. XIII. 18. XXIII. 19. XXVII. 37.* ubi non necessarium fuisset toties repetere additionem, nisi tunc temporis quoque Hebron dicta fuisset. (2) Posito quod tempore Abrahami non ita dicta fuerit: potuit tamen ita dici tempore Moïsis. (3) in loco Josuæ non dicitur, quod Hebron tum nomen novum acceperit, nec, quod antea non ita dicta fuerit, nec quodusque ad illum diem solum urbs *Arba* dicta: sed tantum, quod etiam illud nomen antea habuerit. Non dicitur, quod Josua ipsi dederit Kiriath Arba, quæ tunc facta sit possessio Calebi, & dicta Hebron, sed, quod Hebron ipsi dederit, ceu locum sub hoc nomine notum, & ita ipsi urbs in peculium cesserit. (4) Et Hebron antea hoc nomen tenuisse, vel quod simul Kiriath Arba dicta fuerit, vel quod à subditis *Arba* hoc nomen ipsi tantum fuerit datum, vel ab Israelitis tantum ita vocitata, qui *Arbam* inde expulerant, mihi ex indicium videtur, quia sæpissime in Genesi additur: *hec est Hebron.* (5) Addo, quod nulla necessitas fuisset, post scriptum librum Geneseos, hanc explicationem addere, si ipse sacer scriptor non addidisset (ob rationem forte jam dictam,) quod ita simul fuerit dicta. Nam suffecisset hoc constare ex loco Josuæ, quod Kiriath Arba ea urbs sit, quæ deinde Hebron dicta, maxime cum aliarum urbium, quæ aliud nomen deinde sortita, sine talibus illustrationibus nominum, crebra fiat mentio. (6) Et hoc improbabile est, quod urbs demum à nepote Calebi nomen accepisse dicitur. Nam (α) cum datus fuerit ager circa urbem hanc Calebo, Hebron jam est dicta, ut constat ex loco Josuæ. (β) Caleb non possedit Hebron, sed tantum agrum: ut ita urbs à nepote ejus Hebrone nomen trahere haud potuerit, quoni-

quoniam illi nihil juris in hanc urbem fuit. Quid si ergo diceremus, Calebi nepotem potius ab urbe fuisse appellatum? Et hoc ipsum vult *Cl. Witterus, b. l. (7)* Curatius pensitanti constabit, Hebron h. l. non esse urbem, sed regionem, quia lucus Mamreh in Hebron fuit.

§. 10. *Gen. XL. 15. decimo*, Canaan dicitur terra *Hebraorum*, ubi Jacobus tantum peregrinus fuit. Ergo postea demum videtur liber esse scriptus. Sed (1) Respondet *Cel. Witsius*, Abrahami familiam, qui Hebræi dicti, ut principes & liberi homines solent, in magna celebritate vixisse, ut terra eorum dici possit, quam tam diu inhabitaverunt. Imo (2) Joseph non tam terram Cananæorum quam Hebræorum nominat, ut simul denotet religionem suam, & quod nec sanguine nec cultu divino Cananæis junctus sit. Equè facile est, quod undecimo obstat videtur *Exod. VI. 26.* Quoniam enim Moses seræ quoque posteritati scribebat, non ineptè de se & fratre ita scripsit: uti Johannes de se scribere solet, *C. XIX. 35. XXI. 24.* vid. *Witsium b. l. p. 126. seq.* qui & adversario suo, de usu vocis *נביא*, nobis obversæ, satis facit.

§. 11. Duodecimum argumentum adversæ partis à *Riveto, Willetto, VValthero*, apud *Polum b. l. à Cel. VVitsio*, item à *Dn. Prideaux* pariter nobis oppositum, exstat *Exod. XVI. 35.* Ubi relatum legimus, quod Israel per quadraginta annos perpetuo manna cibatus fuerit. Ex hoc inferunt, quod hoc de quadraginta annis diu post addi debuerit, nempe postquam effluxissent quadraginta illi anni. Verum hoc respondemus (1) probare debuissent *Cel. illi Viri*, quod liber Exodi ante quadraginta illos annos absolutus fuerit, cum ultimis suæ vitæ temporibus Moses hunc librum scribere potuisset. Verbo: *temporis ratio, quo perscriptus à Mose liber est, haud æque facile iniri potest*, utor verbis *Cel. Dn. L. Carpzovii* ex ejus *Introduct. ad Lib. V. T. Histor. p. 86.* Respondemus (2) Scribere hoc potuit Moses ex inspiratione divina ut Propheta. Quid prohibet, quominus Prophetico, quo gaudebat spiritu suggerente, Deoque ipsi revelante ista praverit & in literas retulerit? Cum enim *Mose &*

Aaroni patefactum divinitus esset, totis quadraginta annis per desertum erraturos Israelitas, antequam Canaanis adirent possessionem Num. XIV. 33. quidni præsignificatum quoque Moysi fuisse credatur, forte cum manna depluere cepit, Israelitas annis totidem mirabili illo cibo alendos esse, sunt verba iterum Carpzoviana l. c. p. 83. (3) Etiam ipse Moses hos quadraginta annos vixit, & paulo antequam populus introduceretur in terram Canaan, demum mortuus est, vid. Cel. D. H. A. Engelkenii Disp. de sententiis in sacram scripturam Injuriis p. 40. Et hac in re Cel. Viris opponimus socium eorum, qui idem alias, hoc in pasu defendit, Cel. Job. Markium, qui pro nobis in Exercit. Bib. XI. p. 237. ita scribit; Sed nulla est hoc credendi necessitas, magis quam recurrendi ad spiritum Propheticum per quem vaticinatus heic sit Moses. Siquidem Deus non tantum 40. annos mansionis in deserto palam determinavit, Num. XIV. 33. postquam manna non foret amplius necessaria, sed & Moses ipse per 40. illos annos data manna tantum non integros vixit, cum Israël, usque ad 40. labentis mensem undecimum Deu. I. 3. & forte duodecimum, Dev. XXXIV. 8. Itaque (4) necessarium haud est, cum Kiddero hic Enallagen temporis concipere, ut מכלי comedent exponi debeat, comedent, quasi Prophetice hoc prædixisset Moses; nec necesse est, in Cl. Adversariorum castra secedere.

§. 12. Tertio & quarto lib. Mos. nihil suggerentibus, transitus fit ad Dev. ex quo Decimo tertio statim objiciunt. C. I. 1. ubi Moses dicitur locutus כעבר הירדן, quod quia vertunt trans Jordanem, colligunt inde, librum hunc esse scriptum in Palestina. Respondet tamen Cel. VVitsius ad hoc. l. c. p. 129. seq. quod מכלי nem, five cis Jordanem hæc locutus fuerit, ex 1. Sam. XIV. 40. 1. Reg. IV. 24. Dev. III. 8. Jos. V. 1. IX. 1. Gen. L. 10. ubi עבר cis est. Et ita res se habet: quod etiam observant B. Schomerus Coll. Controv. p. 15. Cel. D. D. VVeidnerus Coll. Disput. p. 12. &c. Addo, quod hoc argumentum contra nos directe non pugnet, quoniam quidem in eo est, ut quintum Moysi librum à Mose scriptum esse inficietur; non vero, quod hæc verba sint addita.

§. 13.

§. 13. *Decimum quartum* iterum argumentum deducunt ex *Dev. II. 12.* ex quo loco *Dn. Prideaux* contra nos argumentari dicitur, in *AHis*. Quoniam vero destituor scripto *Cel. Viri*, ambiguus hæreo, utri sententiæ ipse accedat, an forte agat cum *Peyrerio*, putante, quod *Horæi* ab *Idumæis* de monte *Seir* ita fuerint dejecti, quemadmodum ab *Israelitis Idumæi*, quod tempore ante *Davidem* nondum factum fuerit. Si ita sentiret, clare textus ipsi obeset, quia de *Israelitis* tantum dicitur, quod ita fecerit: לְאַרְצָא יִרְשֶׁתוּ אֲשֶׁר נָתַן יְיָ לְהָם vid. *Carpzovius l. c. p. 138.* Designatur etiam tantum similitudo facti, non quod *Idumæi* *Israëlitis* pœnam talionis dederint, ut ergo colligere non posset *Dn. Prideaux*, hæc post *Davidis* tantum tempora libro esse inserta. Si vero cum *Masio* autumat, hoc à *Mosè* non potuisse addi, quoniam non omnis terra actu fuit à *Judæis*, vivente *Mosè*, occupata: nihil lucrabitur. Nam (1) ante mortem *Mosis* occupat *Israel Peream*, quæ cesferat tribui *Ruben Gad* & dimidiæ *Manasis* parti; de hoc vero in *Prat.* dicere poterat *Moses עָשָׂה fecit.* Et in hac responsione consentientes habemus *B. Calovium Bib. Illustr. Drusum, Tirinum. G. a Lap. & alios in Polo b. l.* (2) De reliqua terra etiam in animo convictus erat *Moses*, propter promissionem *Dei*, quod illi idem accidere debeat, tam certo, quasi jam capta fuisset. Et ita præteritum posset notare certitudinem. Taceo (3) quod etiam hæc *Moses* Prophetice scribere potuisset. Ut quidam in *Polo b. l.* volunt.

§. 14. Locus decimus quintus est *Dev. III. 14.* ubi dicitur, quod *Jair* hæreditatem suam appellavit possessionem *Jair* עַד הַיּוֹם הַזֶּה usque ad hunc diem. Quoniam vero ex illo tempore usque ad mortem *Mosis*, vel seripcionem hujus libri à vivente *Mosè* adhuc factam, non multum temporis effluxit: arguit *Cel. VVissus*, hæc etiam diu post adjecta esse: Sed ferias h. l. nobis fecit *Cel. Dn. D. Engelkenius*, qui contra ipsum *VVissum l. c.* scribit: *Eo magis autem VVissum Clerico interpolationem hujus loci concessisse, miramur; quia ipse Clericus, cum R. Simon, adver-*

adver-

adversarius ipsius, ex phrasi b. l. occurrente, usque hodie corruptionem loci Matib, XXVII, 8. inferre, prout quidem opinatur Clericus, voluisset, eo quod phrasi ista de rebus multis retro annis gestis, soleat usurpari; in Epistola 8. defens. sue regerit; Ex Patribus Hieronymum pari modo de coevis suis e. gr. Ambrosio, Didymo Alexandrino, aliisque phrasin ejusmodi adhibuisse. Quinimo Simon in responsione ad hanc defensionem negare non audet, hanc loquendi formulam saepe tempus non adeo remotum inferre, licet se ex alio fonte contra locum istum argumentatum esse asserat, cujus tamen asseriti, falsitatem hac vice non libet latius examinare. Quod ad objectionem ex praesenti loco Dev. spectat eam quoque B. Schomerus adducit Coll. rec. Contr. cap. 2. §. 1. p. 15. reponens inter alia: quod verba loci nostri ipsius Moysi sint, qui ad Israelitas loquens introducatur, quae nec recentior libri scriptor sano judicio ipsi attribuere potuisset, nisi in ipsum convenissent. Atque sic verbis ipsius Wieselii rem decidere licet qui §. 43. p. 127. in responsione ad alium locum, nonne, ait, temeritas esset asserere, historicum data opera alias voces Moysi affinis, quam quibus revera est usus. Haec tenus Engelkenius. Summa eo redit, verba usque ad hunc diem non tempus diuturnum denotare, sed sufficere, si aliquod tantum temporis spatium à tempore rei actae usque ad tempus scriptionis effluxit, quod etiam agnoscunt Menochius, Bonfrerius, & Cor. a Lapide, teste Polo b. l.

§. 15. Decimus sextus locus, & qui maxime speciem habere videtur, exstat Dev. XXXIV. 5. ubi de Moysi morte, & quae eam secuta, scribitur. Quare speciosa nectitur argumentatio, quoniam Moyses post mortem scribere non potuit. Hinc non nudius demum tertius suspicio orta fuit, hæc à sequiori manu esse addita qua sententia nec ipsi Judæi abhorrent, inter quos R. Salomon Isaacides commentatur: ער כחן כתב משה i. e. huc usque scripsit Moyses quæ vero sequuntur scripsit Josua. Et hæc & communior sententia inter Judæos, ut etiam Talmud in Bava batra C. 1. huc respiciat, scribens: ויהושע כתב ספרו ושמונה פסוקין שבתורה i. e. Josua scripsit librum suum, & novem versus in lege. Conf. Voisin in observationibus ad Martini pugionem fidei. p. 97. Ita quoque

Rober-

Robertus Stephanus Annot. ad initium Lib. Josue, item quos B. Pfeifferus in Dub. Vex b. l. p. 321, huc refert, Cor. à Lapide, Toftatus, Bonfrerius, Friedlibius, quibus I. E. Gerbardus in Disput. de sepultura Mosis C. 4. §. 4. addit B. Gerbardum. Idem littus appellit B. Schomerus Coll. controversiarum, p. 15. id probare conatus ex Josue XXIV. 26. item quos Polus citat h. l. Alii adhuc recentius additamentum putant, quorum alii adscribunt Eleazaro, ut Estius, teste Pfeiffero; alii Esræ, ut eodem teste, Lyra & Masius. Alii apud Gerbardum l. c. putant, hæc addita fuisse à Notariis & scribis publicis Hebræorum, quod conantur probare ex Jes. XXXVI. 22. Sed ad hæc respondebimus: (1) à nullo horum hæc scribi potuisse, nisi simul admittas, quod quædam scripserit, non ut præterita, sed ut futura, spiritu Prophetico dictante. Nam v. 10. dicitur וְלֹא־קָם נָבִיא עוֹר בִּישְׂרָאֵל כְּמֹשֶׁה & non surrexit amplius in Israele Prophetæ sicut Moses. Dic, dic, quæso! qui adversum sentis, quis hoc scribere potuisset de re antea acta? si etiam ista contringis, (quod tamen non admitto,) ut intelligas usque ad finem Reipublicæ Israeliticæ æqualem Prophetam non extitisse, post secundum excidium Hierosolymorum hæc demum additio addi potuisset. Illud vero credere, natura canonis V. T. clausi, & inde emergentia absurda alia, prohibent. Si vero dicis, scriptorem loqui de tempore, quo ipse vixerit, quod ad illum diem usque æqualis Prophetæ non surrexerit: non tantum contrariam habes totam Synagogam Judaicam, quæ omnes Prophetas Mosi longe postponit; sed etiam dictum enervas, & argumentum nobis Christianis extorques, quo probamus, Prophetam ex Israelitarum fratribus excitandum Dev. XVIII. 15. non esse Prophetas, unum post alium, excitandos, quia nullus eorum Mosi æqualis fuit. Si enim dictum ita interpretamur, ut tantum illos excludat, qui à tempore Mosis usque ad scriptionem hujus particulæ fuerunt; omnis sane vis perit, quia deinde tales extare potuissent. Ut itaque concedi debeat, in hac particula quædam Prophetice dici. Respondemus, (2) metas esse conjecturas, falsis haud vero principiis innixas. Qui

C

enim

enim *Efra* primitus adscripserunt, præjudicio illo laborarunt, quod *Efra* libros sacros post interitum eorum, restauravit. Qui *Josue* tribuerunt, forte in ea hæresi fuerunt, veram esse traditionem Judaicam supra allatam, vel seducti *Jos. XXIV. 26.* quod tamen nihil ad rem facit, quia clarissime versus tantum loquitur de fœdere quod pepigerunt & subscriptione confirmarunt *v. 22. vid. infra de hoc plura.* Qui vero *Notariis* tribuunt publicis, respondere tenentur ad ea quæ *Richardo Simoni* ab Adversariis sunt opposita. Cujus controversiæ historiam nectit *Cel. D. D. Engelkenius in Disp. cit. p. 32. seq.* Nec ad illud probandum aliquid locus *Jes. XXXVI. 22.* facit quod *Asaph* dicitur אסף. Si enim hic est ἀναγνώστης Regis; nondum statim sequitur, quod publici scribæ, qui historias conscribant, inter Israelitas fuerint. Et posito non concesso, tales fuisse: quis diceret, eos omnes viros θεοπνεύστους fuisse? Quæ est sequela: notarii publici fuerunt: ergo libris Canonicis additamenta addere potuerunt? apage! Respondemus, (3) si concedi debet, unum vel plures versus spiritu Prophetico eum scripsisse, qui Deo dictante, scripsit: quid impedit, quominus asseramus, etiam reliqua Deum dictasse Mosis ipsi, ante mortem, ut ingens hoc solatium servo suo singulariter fido præbeat. Et hac de re eo minus est dubitandum, quia populus Israeliticus alias incertus fuisset, quid Deus cum Mose egisset, nec scire potuisset locum generalem, ubi sepultus, & quæ quoad prærogativam ipsi tantum, ut Prophetæ, non ut Deo, conveniant. Hæc ut recte capiant Israelitæ, post mortem Mosis, Deus omnino ante mortem hæc dictasse videtur: cum fabula sit, quam *Autor libri de vita & morte Mosis. p. 92. edit. D. D. Fabricii* habet, quod Deus hæc dixerit, si alias *Autor* verba sua non vult intelligi de verbis Dei ad Moysen adhuc viventem. Nec (4) sententia nostra laribus suis caret. Inclinat siquidem non solum *B. Lutherus* in hanc sententiam, sed & cum eo id propugnant *B. Pfeifferus in Dub. Hex. b. l.* & *Cel. D. D. Buddeus P. I. Hist. Eccl. V. T. p. 531.* quibus ex Antiquissimis cum *Philone* accedit *Josephus Antiq. L. 4. C. ult. p. m. 116.* scribens: γέγραφε δ' αὐτὸν ἐν τοῖς ἱεραῖς βιβλοῖς τεθνεώτα. Nec

Nec (§) obstat v. 6. qui *Cel. D. D. Langium in Hist. Eccles. V. T. p. 234.* movit. Nam si reliqua Prophetice scribere potuit, & hoc potuit, ut quilibet legens ad sua tempora id applicet, non inventum esse Mosis sepulchrum usque ad illum diem, quo illud legit: Quod si vero (6) omnino quis hoc nollet: dicat librum, Mose moriente, nondum publicatum fuisse, & antequam evulgaretur, Josuam Dei jussu caput ultimum addidisse. Qua lege complementum quidem libri esset; minime tamen additio libro Canonico, diu recepto, demum superaddita.

§. 16. Quoad librum *Josue* nos facilius expediemus, quia in ea sumus sententia, quod Josua non sit Autor libri, sed liber tantum à materia, non vero ab Autore, liber Josuæ audiat, ea penitus ratione, quemadmodum libri Samuelis, Judicum atque Regum, non propterea hæc nomina præferunt, quasi à Samuele, Judicibus vel Regibus sint scripti, sed quia de illis maximam partem agunt, vel (ut secundus liber Samuelis) cum historia arctum nexum agnoscunt. Addo quod nomina librorum V. T. non à Deo sint imposita, sed ab hominibus sequiorum temporum: ut ex nomine contra nos argumentari non possis. Si hujus theses quæris patronos: multos tibi dabit *Cel. Du. Carpzovius in introductione ad lib. Bibl. p. 150. seqq.* nominatim *Athanasium, Theodoretum, Masium, Grotium, Calvinum, Lavaterum, R. Abarbanelem, Tostatum, Calovium, Janium, Spinosam, Hobbesium, Simonem, Clericum*, quibus & ipse tandem *p. 153. seqq.* cum *Ludovico Elia du Pin*, fere subscribit. Si argumenta quæris: dicam, quæ me movent. (α) Describitur mors Josuæ non tantum cum funere ipsius, *C. XXIV. 20.* sed etiam (β) quid deinde factum sit. *31. seqq.* (γ) Recentiora memorat *C. XV. 31. seqq.* quæ contigerunt *Jud. I. 10. seqq. C. XIX. 10.* collato *Jud. XVIII. 1. seqq. &c.* Opponunt quidem *Jos. XXIV. 26. seqq.* Sed respondemus, non agitur de illo libro, quia hæc alias, sive in principio, sive in fine libri, commodius exstare debuissent; sed, ut clare textus prodit, sermo est de formula fœderali solum. Nec tamen cum *Clerico* agimus, opinato, Josuam formulam hanc inseruisse libris Mosaicis, quoniam formula illa nullibi in Mosaicis exstat.

Si etiam paulo curatius attendimus, quod scribere in librum Ebraice dici soleat כֹּתֵב עַל סֵפֶר vid. *Protrepticon m. ad pietatem Crit. p. 23. seq.* forte eo deveniemus, ut hæc vertamus: *Et scripsit Josua verba illa in lege Dei*, h. e. quæ verba exstabant in lege Dei illa descripsit. (quo inclinare videtur *B. Majus in Oeconomia V. T. p. 688.*) & non solum publicavit, ut omnis populus ea habeat notissima, sed etiam (quæ conjectura est mea) lapidi erecto vel inscripsit vel appendit. Ita in fumum abit oppositio quæ & Josuæ ipsi librum vindicare nititur, & hanc particulam à sequiore Josuæ manu Mosais libris insertam, clamat. Nos vero expeditiores cum illis agemus, qui hæc Josuæ deinde addita opinantur: quibus etiam adstipulantur *Spanhemius & Heideggerus, Carpzovio teste, & alii.* Quando itaque decimo septimo opponitur *Josua IV. 9. ad hunc usque diem*, quod *Markio* ingens argumentum videtur: nos (1) regerimus quæ supra diximus §. 14. Et (2) hunc librum à nobis Josuæ non tribui fatemur. Opponit decimo octavo, *Cel. Markius in Exercit. script. exercit. XI. §. 10. p. 671. Josua X. 13.* quod citatio libri recti à manu sequiori debeat esse; quamvis ipse *Markius* deinde asserat, Josuam posse citare vel suum antea scriptum, vel alterius scriptum. Nos facile causam dicimus, Josuam Autorem libri non esse: & dicto alium forte inesse sensum, quem dixi in *Protreptico p. 24. D. D. Abiutium de hoc libro edidisse dissertationem*, ex tom. III. *fam. Erud. p. 477.* scimus; ipsam tamen videre non potuimus. Interim tamen nec necesse est, ad Rabbinorum descendere bene placita, & librum recti habere pro libro legis Mosais, qua ratione tamen quoque dubium hoc tolleretur, etiam ab illis, qui Josuam Autorem libri statuerent. Audiamus *Kimchium* ita disferentem: וְזֶאת הַפְּלִיאָה כְּתוּבָה עַל סֵפֶר הַיֵּשֶׁר וְהוּא סֵפֶר תּוֹרַת מֹשֶׁה וְהוּא מֵה שֶׁאָמַר הַקָּדוֹשׁ יְיָ בְּנֹגֶה כֹּל עִמָּךְ אֲעֲשֶׂה נִפְלְאוֹת רַגְזָה in libro Recti. & liber ille est lex Moysi. Et hoc est quod dixit Deus benedictus (Exod. XXXIV. 10.) coram populo tuo faciam miracula &c. A quo abit וְזֶאת ita scribens: דָּבַר זֶה נִכְתָּב בְּתוֹרַת שֶׁאָמַר לִי יְעֶקֶב לְיוֹכֵן זֶרְעוֹ שֶׁל אַפְרַיִם יְהִי מִלֵּךְ הַגּוֹיִם אֲנִימָתִי

אימתו ביום שעמדה חמה ליהושע נתמלא כל העולם שמעו של
 יהושע וועמר השמש כחצו השמים ולא אץ לבא כיום תמים:
 i. e. *Res hac scripta est in lege, quando Jacob dicit ad Josephum*
(Gen. XLVIII. 19.) semen ejus, nempe Ephraimi, erit plenitudo gen-
tium, quando, quo die desit ira Josua, impletus est totus mundus fama
Josua & quod steterit sol in dimidio cali & integro die non cucurrerit
ad occasum. Utrumque enim dictum quod רשי & רידק affert,
 non est à manu sequiori, quamvis huc non quadret. Qui
 nobiscum agere nolunt, illi forte librum recti non fuisse Ca-
 nonicum & interiisse diceat. Quo inclinant etiam R. *Levi Ben*
Gerschom, quando ita scribit: והנה ספר הישר אחשוב
 i. e. *Et ecce*
librum Justi reputo, quod hoc nomine revera venerit, & interierit
in captivitate. vide etiam B. Wagenselii Disput. de lingua authentica
N. T. C. 3. §. 3 4. p. 20. seq. B. Pfeifferi Crit. Sac. p. 14. B. Gasp.
Lascherus in Theol. Thetica p. m. 67. B. Quentsted. P. I. p. 191. A.
Clericus Comment. in b. l. p. 24. & quos citavi in Protreptico p. 18.
 Quæ decimo nono Josua XXIV. 29. de morte Josuæ & quæ eam
 sunt infecuta, afferri solent, maxime probabilem eam reddunt
 sententiam, librum non esse manu ipsius Josuæ scriptum. Qui
 vero contrarium tuentur, hæc prophetico spiritu scripta
 opinantur:

§. 17. Ex reliquis libris Historicis dubium non occurrit,
 quoniam tempus scriptionis eorum non omnino certe constat
 Devolvimur itaque ad *Prov. Salomonis*. Objicitur itaque vige-
 simo ex hoc libro, *Prov. XXV. 1. seq.* ubi legimus: צמח אלה משלי
 i. e. *שלמה אשר העתיקו אנשי חקירה מלך יהודה*
Hæc sunt etiam Proverbia Salomonis, quæ scripserunt viri Ezechia
Regis Judæe. B. ATNUS quidem & MARTT, teste Polo, vocem
העתיקו interpretantur, quod hi viri capita hæc ex ling. Heb. in
aliam transtulerint; sed hoc ratione caret, quemadmodum &
ipse Baynus dein vertit: auctoritatem dedcrunt. Alii vero hoc
cum Tirino, Menochio & aliis, exponunt: composuerunt,
nempe ex schedis Salomonis; vel dicunt cum Geiero in b. l. ex

scriptis Physicis Salomonis proverbialia hæc in h. l. perducta esse. Alii vertunt cum *Malvenda*: *perdurare fecerunt*, h. e. ex veteribus schedis ad posteros memoriam tradiderunt. Sic quoque vult R. Sal. Ben Melech scribens: כותב הדברים מספר אל ספר וקרא מעתיק לפי שמעתיק ועוקר הדברים מספר אל ספר ואף על פי שדברי הספר הראשון אינם נעתיקים i. e. scribens *verba ex libro in librum dicitur translator, propterea quia posteritati transcripsit & transfert verba ex uno libro, in alterum, & hoc propterea, quod quia verba prioris libri non ad posteritatem durarent in scriptor transcribit ea cuncta eodem modo.* Alii additionem, ut certam, supponunt, & tantum quærun, quinam sint scriptores illi, ubi alii Jesaiam & Hosiam pro viris Ezechiae reputant, vid. B. Maji *Oeconomia V. T. p. 840.* Alii cum R. Aben Esra sentiunt dum scribit: ויתכן שהיה שכנא כי הוא היה סופר המלך & convenit, quod hic fuerit Sebnæ quoniam ille fuit secretarius Regis. Pariter Grotius Sebnæ, Eliakim & socios pro Autoribus habet. Ita quoque hæc dein addita esse dicit B. Calovius *Bib. illust. b. l. p. 1126. specialis Proverbiorum dictionis exhibet. I. Proverbia à Salomone ipso digesta C. 10. usque ad 25. exclusive, per 15. capita. II. Proverbia Salomonis tempore Hiskie adjecta, capitibus quinque nimirum. 25. 26. 27. 28. 29. comprehensa III. Verba Aguris mystica c. 30. IV. Denique monita Lemuelis à matre accepta. C. 31. & ultimo. Cel. vero D. D. VAL. ERN. LOESCHERUS in Theol. Exeget. ita disferit: Partes sunt due: prima continet collectionem priorem à C. I. ad XXIV. secunda continet collectionem posteriorem tempore Hiskie factam à C. XXV. usque ad finem. Nec ullum hæcenus vidi, qui cum firma ratione dubitaverit, hæc capita ab Hiskianis hominibus non esse deinde addita. Quid ergo dicemus? Hieronymus in præfatione in lib. Reg. quam Prologum Galeatum appellare solemus, non diffitente Hieronymo ipso, videri posset Volumen Prov. Sal. pro tribus habuisse libris distinctis, operum. Tom. I. p. m. 342. scribens: tertius (liber) est Salomon, tres libros habens: Proverbia, quæ illi parabolas, i. e. משלים appellant. Quartus Ecclesiastes &c. Si enim tertius liber tres libros*

libros sub se complectitur, nec tamen continet simul Ecclesiastem, nec Cant. Cant. qui 4. & 5. demum numero occurrunt, sed sola proverbia: hæc Hieronymus pro tribus distinctis libris habuisse censendus erit. Sed bonus Pater forte dictando minus accuratus fuit: quod passim deprecatur. Sed in viam! Dicam libere, quid sentiam, Proverbia Salomonis habeo *pro duobus* distinctis libris, quorum *primus* quidem antiquior, cum C. XXIV. finitus est; *secundus* vero recentior cum C. XXV. incipit & reliqua omnia complectitur. Ita evitamus sequiorem manum & inscriptioni hic exstanti satis facimus, omnia vero Proverbia Salomoni commode vindicamus. Idem & re ipsa fatentur *Cel. illi Viri*, qui novam hic incipere collectionem fatentur. Objiciunt *vigesimo primo Proverb. XXX. 1. verba Agur*. Hic pauca addamus (1) Agurem esse ipsum Salomonem asserit R. *Levi Ben Gerschom* his verbis: *ושלמה קרא עצמו אגור מצד הדברים שכלל אותם בזה הספר* *mibi quidem videtur, quod Salomon se ipsum appellaverit Agur, respectu quidem rerum, quas collegit in hoc libro.* Sed *ושי*, hanc expositionem plane ut communioem priscorum Doctorum, affert, scribens: *רברי שלמה שאגור את הכינה והקיאה כך פירשוהו הכמים* i. e. *sunt verba Salomonis, qui congregavit omnem sapientiam & elocutionem, quemadmodum sapientes id exposuerunt.* Imo etiam nonnulli Christiani eam sententiam amplectuntur quibus fere accidit B. *Calovius Bib. Illust. in b. l. vid. & Wisium l. c. 221. seqq. cum Coccejo agentem*, & B. *Cramerum in Isagoge ad libros Bib. p. 114. Franciscus vero Junius, teste Polo, maxime hoc improbat, quia* inscriptio, scribendi forma & petitio v. 7. 8. Salomoni non conveniat. Sed forte nil hæc probant. Sit tamen (2) ita: asserat quis, quod Agur sit nomen collectoris Prov. ut putat *Huetius*, vel dicat etiam cum *Aben Esra. B. Geiera, Grotio & Buddeo H. E. P. 2 p. 586 seqq.* quod Salomon tantum collegerit sententias Aguris. Res eodem recidit: modo asseras viros illos *Θεοπνεύστους* Ezechianos hæc omnia ex inspiratione divina scripsisse, ut constituent secundum librum Prov. quia non sufficeret dixisse Salomonem vel etiam Agurem primo multa Proverbia conscripsisse, divino afflatu, ex quibus privato studio viri Ezechiae paucula hæc selectiora sele-

selegerint. Potius rem invertas, Salomonem & Agurem primo scripsisse, ex quibus ab Ezechianis accedente divina inspiratione, hæc secundi voluminis Proverbia collecta, & in canonem relata sint. Obijciunt *vigesimo secundo, Prov. XXXI. 1. Lemuelem*. Sed R. Rabog. *Aben Esra, Cel. Buddens l. c. p. 217. 587. & 640. VVitsius Miscel. T. I. p. 222. §. 29. & B. Calovius Bib. Illust. b. l. B. Pfeifferus in Dub. Vex. b. l. & alii*, ipsum *Salomonem* intelligunt. Est vero *Vir Cel.* qui *Lemuelem* Prophetam *Samuelem* putat, & tantum mutato in *S*, his ductus, nifallor, rationibus, quia *Samuel* expetitus fuit à Deo & hic *Lemuel* §. 2. dicitur *בר נרי*. Cui an obstat nomen Regis: alii videant. Quicquid horum demum sit; pro sequiori manu argumentum contra nos ex hoc peti non potest, qui ab Ezechianis hæc divino instinctu in canonem deinde relata esse, statuimus.

§. 18. Jam ex V. T. nihil occurrit ulterius, quantum equidem scio, quod nobis opponant dissentientes. Ex N. T. *vigessimus tertius* & unicus tantum erit locus, nempe *Joh. XXI. 24.* non fugit me quidem, quod *Grotius b. l.* credat, totum hoc caput *XXI.* Evangelio *Joh.* demum superadditum esse, & *C. XX, §. ult.* clausulam Evangelii exstare. Sed ejus argumenta everit *B. Calovius in Bib. Illust. b. l.* Nobis tantum de §. 24. cura est. Hic non tantum *Grotius*, sed etiam *Harmondus* & alii, teste *Polo*, nobis opponunt, quod h. l. *Joh. in Plurali* dicat, *nos scimus*: unde colligunt, hæc ab Ecclesia Ephesina esse addita. Sed hoc nobis admodum improbabile est. (1) Hæc assertio labefactat canonicam *hujus* §. autoritatem, quia dubium obrepit legenti, an Ecclesia Ephesina ex divina inspiratione hæc scripsisset. (2) Nec hoc evictum est, quod ad Ecclesiam Ephesinam primario hoc Evangel. sit scriptum, ut *Grotius* putat; quo jure igitur hæc approbaret? (3) Sunt quidam e. g. quos affert *Morloratus in b. l. & Polus b. l.* item *B. Majus Oecon. N. T. p. 148.* quo & respicit *Cyrillus Alex. in b. l.* qui autumant, *Joh.* inclusisse reliquos discipulos sive totam Ecclesiam, qui omnes asserant, *Johannem* testem esse verissimum. Si hoc accipis, dubium evanescit. (4) *B. Dorscheus L. I. & Lightfootus in Hor. Talmud. in b. l.* idiotismo quodam pro plural. singularem positum putant, *scimus* i. e. scio ego *Joh.* Et hoc etiam tolleretur dubium; nobis vero *Enallages* suspensionem præbet. (5) Piorum lectorum judicio exponam, anne omnium optime *Joh.* ex se ipso sit interpretandus, qui *C. III. 11.* introducit Salvatorem dicentem *ὁ οἶδαμεν, λαλῶμεν*, testimonium totius Trinitatis expressurum. Quid impedit, quo minus etiam nostrum *οἶδαμεν* de testimonio sacro sanctæ Trinitatis exponamus? Nam (1) causa primaria, spiritus dictans, de se & reliquis Deitatis Personis optime loqui potuit. (2) Trinitatis etiam est, suo testimonio Canonicam scripturam confirmare, & (3) ejus testimonio omnium firmit. sine niti possumus. &c.

SOLI DEO GLORIA!



132 C:29

